

BARTHOLOMÆI PITISCI
GRYNBERGENSIS
PROBLEMATUM
GNOMONICORUM

Liber Unus.

P R A E F A T I O.

IN Gnomonicis præstant Solaria: & in his Sciethetica commu-
nia: in quibus stylus est axis: lineæ verò horariae sunt circulo-
rum horariorū, per vicesimas quartas partes Aequatoris, & utrum-
que mundi polum incedentium, sectiones communes cum plano dato.
Et hæc quidem ab axe facile deducuntur. At axem collocare; hoc o-
pus; hic labor est: præsertim in planis meridiano obliquis: in quibus
omnibus; tam meridiana plani, quàm elevatio poli supra planum,
atq; adeo elevatio axis supra meridianam plani; & in nonnullis et-
iam meridiana loci ignoratur. De his igitur, scitu per quàm utili-
bus & jucundis; tria hoc loco problemata proponemus: & in gra-
tiam studiosæ juventutis addemus quartum, de lineis horarijs in
quovis plano ducendis.

PROBLEMA PRIMVM.

Dato plano, & ad meridianum & ad verticalem pri-
mariū obliquo, sed ad horizontem recto, hoc est, dato pla-
no simpliciter declinato, meridianam plani & elevatio-
nem poli supra planum invenire.

Meri-